

fidelem nostrum banum Sclauonie rite et legitime ordinatam, per singula approbantes, presenti priuilegio, de Regia libertate duximus confirmandam. In cuius libertatis perpetuam firmitatem ac stabilitatem, presentes concessimus literas duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum prope castrum Baboch, anno domini M^o CC^o LIII^o Septemdecimo Kal. Septembris. Regni autem nostri anno decimo octauo.

Originalis membr. in Archivio Civitatis Crisiensis. N. 1.

(Idem Priuilegium confirmarunt Rex Bela IV. a. 1269, Rex Stephanus a. 1279, Ludovicus a. 1382 et Rex Rudolfus a. 1597.)

LVII.

Anno 1260. In Dobra.

His litteris, quibus Bela IV. Rex familiae Frangepanianae districtum Vinodol donat, docetur, locum et fluvium Rika (Fiume) intra limites Regni Croatiae situm fuisse.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Galicie, Lodomerie & Cumanorum Rex, Vniuersis Christi fidelibus presentes nostras visuris salutem. Postquam Reges regnarent, Dominique possiderent terras & Regna, oportet ex Regum Gubernijs, omnium linguarum vniuerse gentis, que se alacriter subderet, ita providere, vt illi qui deinceps venerint & succedent, per illorum exemplum et doctrinam multo feruencius et vtilius cogantur obedire, et ea facere, que sunt fidelitatis Regie. Ideo ex hac ratione volumus, et simul vniuersis et singulis tam presentibus quam successoris fidelibus notum facimus. Siquidem in tantum multitudo et malicia peccatorum vniuerse gentis & hominum, sub nostro regimine degencium, prevaluit, et citra omnem timorem & pauorem Diaboli, humani generis hostis, plus quam Arena & Abyssus maris excreuit. Sed nolens Deus ipsorum mala opera & iniquitates absque pena impune permittere & pullulare, excitauit Tartaros in ruinam Christianorum. Per quos Tartaros, vt agnoscerent vindicem Deum, super hominibus plenis iniquitatibus et dolo propter que scelera & peccata, Deus omnipotens in sua misericordia preseruando, puniuit nos tali modo, quod cum nos configendo cum Tartaris in campo Su (sic), ut ab iisdem totaliter victi et confusi fuimus. Vnde nos videntes nullum auxilium adesse, quinimo aufugere nos debere, sicuti etiam aufugimus ad partes Maritimas, quereutes locum abscondicionis et recepcionis intra mare. Vbi nos deplorantes, sicut Rachel, considerando ruinam et necem vel maxime nostrorum. Sed Deus misericordie et deus consolacionis, ille, qui solatur suos veros et fideles in omni